

sanguis, tantò celerius movetur, velocius influit & atroci⁹ affligit.

Parvus lib. 17. chirurgiæ cap. 11. humorem arthriticum & podagricum innuit habere quid virosi & malignæ qualitatis, qualis in lue venerea. *Alii* occultarum qualitatum patroni *κακοήθειαν* quandam in eò stabilire conantur. 1. non pervenit ad suppurationem. 2. intensiorem parit dolorem, quàm reliqui humores, cum vertuntur in pus. 3. in nodos & gypsum induratur. 4. solis nocet articulis. 5. partes affectas inæqualiter afficit, modò eas urit, modò quasvis glacie frigidiores reddit. 6. malum ab adhibitis remediis potius exasperatur. 7. theriacam doloribus pedum & aliorum articulorum mederi scribit.

Verùm facilis ad has rationes est responsio. Et quidem ad I. respondemus, quod materia fluens non solus sit sanguis, sed bile, sero ac *♀*reis scoriis permixtus, & ideò ad suppurandum inidoneus. II. dolor intensior est ex seroso & acri humore. III. serum in pus abire non potest, sed tenuiore parte dissipatà in tophos abit; nulla autem exin malignitas apparet. IV. serum solis articulis nocet ob copiam nervosarum partium, ad eos à principibus dejectum. V. partes modò uruntur, modò frigescunt, ob diversæ materiæ influxum, non secus, ac in febribus humores biliosi modò rigorem, modò æstum produciunt. VI. mali exacerbatio est adscribenda topicis non ritè adhibitis. VII. ex præscriptione theriacæ à *Galeno ad pison, lib. de theriac. cap. 15.* factà, nulla apparet humorum malignitas, cum id fecerit ob materiæ influxum cohibendum, & id, quod in parte affectâ hæret, absumendum. Theriaca etiam commendatur in epilepsia, apoplexia, & aliis affectibus à *Galeno*, non tamen inde sequitur, quòd adsit propriè dicta malignitas in istis morbis.

TERMINUS à quò est totum corpus.

Toti corpori impurus biliosus sanguis communicari potest, si Hepar non faciat officium, & biliosas atomos sanguinis transeuntis per radices choledochas non transmittat ad *κύστιν χοληδόχον*, excrementitiæ bili aggregandum. Tum atomi illæ manent cum sanguinis massa in vasis, & acres cumulant humores.

B

V E N